

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Religio b cum fonte primo

Non dicatis aliquid proprium  
sed sint nobis omnia communia et  
distribuatur unicuique uestrum a  
preposito uestro uictus et tegumentum,  
non equaliter omnibus quia non  
equaliter ualetis omnes, sed potius  
unicuique sicut cuique opus fuerit.  
Sicut legitur in actibus apostolorum  
quia erant eis omnia communia et  
distribuebatur uniuersis, sicut  
opus fuerat.  
Qui aliquid habebant in seculo  
quando ingressi sunt monasterium,  
libenter uelint illud esse commune;  
qui autem non habebant, non ea  
querant in monasterio que nec  
foras habere poterunt, sed tamen eorum  
infirmiati quod opus est distribuatur,  
eciam si paupertas eorum,  
quando foris erant, nec ipsa necessaria  
poterat inuenire, tamen non  
ideo putent se felices esse quia  
inuenerunt uictum et tegumentum quale  
foris inuenire non potuerunt. Nec erigant  
ceruicem quia sociantur eis ad quos  
foris accedere non audebant, sed sursum  
cor habeant et terrena bona non querant  
ne incipiant esse monasteria diuitibus  
utilia, non pauperibus si diuites illic  
humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus de communi uita uel regula  
clericorum.

Et  
non dicatis aliquid proprium,  
sed sint uobis omnia communia, et  
distribuatur unicuique uestrum a  
praeposito uestro uictus et tegumentum,  
non aequaliter omnibus, quia non  
aequaliter ualetis omnes, sed potius  
unicuique sicut cuique opus fuerit.  
Sic enim legitis in Actibus Apostolorum,  
quia «erant ILLIS omnia communia et  
distribuebatur unicuique sicut  
cuique opus erat» (cf. Act. 4:32-35).  
Qui aliquid habebant in saeculo,  
quando ingressi sunt monasterium,  
libenter illud uelint esse commune.  
Qui autem non habebant, non ea  
quaerant in monasterio quae nec  
foris habere potuerunt. Sed tamen eorum  
infirmiati quod opus est tribuatur,  
etiam si paupertas eorum,  
quando foris erant, nec ipsa necessaria  
poterat inuenire. Tantum non  
ideo se putent esse felices, quia  
inuenerunt uictum et tegumentum, quale  
foris inuenire non poterant. Nec erigant  
ceruicem, quia sociantur eis ad quos  
foris accedere non audebant, sed sursum  
cor habeant et terrena uana non quaerant,  
ne incipiant esse monasteria diuitibus  
utilia, non pauperibus, si diuites illic  
humiliantur et pauperes illic inflantur.

Augustinus Hipponensis, *Regula tertia  
uel praeceptum*, 1, 3-6 (L. Verheijen ed.,  
pp.418-19, ll.5-22).